



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

Cap. 4. Gennadius Massiliensis Semi-Pelagianus à Recentioribus
excusatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

damnantur, & præcipue Faustii Semipelagianorum Coryphæi, qui te quoque teste, circa initium fidei, & alia plus aliquanto tribuere visus est, quam par erat. Ita ne verò libros continentes errores à Synodis, & Romanâ Sede damnatos hæreticos negabis? At illud etiam interpretamentum, quo libros illos apocryphos hoc est non primæ auctoritatis pronunciatos, esse dicis, quàm falsum sit, nemo non videat. Gelasius hoc nigrum thesaurum Hæreticarum libris præfigit: *Opuscula Joviniani, & Galli apocrypha. Opuscula Montani, Priscille, & Maximille apocrypha. Opuscula omnia Faustii Manichæi apocrypha.* Et post nonnullos alios eodem prorsus modo Faustum damnans ait: *Opuscula Faustii Rbergensis Galliarum apocrypha.* Quare Sirmondo interprete Montani, Faustii Manichæi, ac Joviniani libri non erant hæretici, sed tantum non primæ auctoritatis. Cavendum ne unâ cum Fausto pessimi etiam Hæretici excusentur. Gelasius antequam indicem illum librorum, quos Ecclesia rejicit, contexat, antè catalogum librorum damnatorum hæc præfatur: *Cætera, quæ ab hæreticis, sive Schismaticis conscripta, vel prædicata sunt, nullatenus recipit Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, & quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.* Et statim incipiens à Conciliabulo Ariminensi à Constantio Ariano congregato damnatorum librorum indicem subnectit, quos inter Faustii Rejenis opuscula numerat, quæ Gelasio judicante, *nilatenus recipit Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, & à Catholicis vitanda sunt.* Hocine est non primæ, an potius nullius esse auctoritatis? Scio apocryphos eos libros censeri, qui incerti auctoris sunt, aut nondum auctoritate Ecclesiæ confirmati, sed ibi Pontifex eo nomine illos libros etiam damnat, qui rectam aliâ doctrinam immistis erroribus deturpant. Sed neque mitius Hormisdas de Faustii libris iudicavit; nam apertè statuit Faustum non recipi in numerum Patrum, quos ut magistros sanæ doctrinæ Orthodoxi venerantur. Scribit ab Ecclesiâ librorum recipiendorum numerum statutum; ac de quibusdam aliis censet, legi posse, ut fugiantur illorum errores: *Nec vitio, inquit, dari potest, posse quod fugias, atque adeò non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes.* His Faustum adnumerat dicens, quod *illum in auctoritatem Patrum non recipit examina Catholica fidei.* Errat igitur, teste Hormisdâ, Faustus circa fidem. Quare Pontifex reprobato Fausto ex Sancti Augustini libris ad Hilarium, & Prosperum, Ecclesiæ doctrinam de gratiâ, & libero arbitrio petendam dixit, quod Catholicum gregem à noxiis pastuis ad saluberrima prata revocaret.

Hucusque dicta in summam redigo. Faustii vicem dolet Sirmondus, quod tradatur *tanquam hæreticus.* At nos de Sirmondo querimus, quod Sanctos Patres Africanos Prædestinarianâ hæresis insinulavit. Idem Maxentii contra Faustum objectiones non successas, & fallaces accusat. At Bellarminus egregiè Faustum à Maxentio confutatam testatur. Sirmondus cum Jappero nec sine honore Catholica Ecclesiæ Doctorem Faustii nominat. At Sanctus Hormisdas Papa scribit, quod Faustum *in auctoritatem Patrum non recipit examina Catholica fidei.* Idem libros Faustii non primæ auctoritatis tantum declaratos esse contendit. At in illis Faustum *subdoli sermonis, Pelagianis consentientem, delirantem, Catholica fidei penitus inimica docentem veteris Ecclesiæ Scriptores, ac Patres iudicant.* Quare jurè optimo Cardinalis Baronius tomo 6. ad

annum 490. hæc scripsit: *Non est quidem, ut pro Fausto aliqua possit in eius defensionem, vel excusationem apologia elaborari, quem constat in diverso Orbe Catholico impugnatum.* Et enim in Occidente Casarius, & Avitus doctissimi, atque sanctissimi in Galliâ Episcopi adversariis eum scriptis exagitarunt; Eundemque in Africa Sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus septem libris vehementissimè impugnavit &c. Sed qui præstant his omnibus Felix, atque Gelasius Romani Pontifices eadem Faustii scripta rejecerunt, ut planè universum Occidentem Orbem in eosdem Faustii libros insurrexissent, eosdemque oppugnasse certum sit. In Oriente verò non unus dumtaxat, quem refert Azo, Joannes Presbyter Antiochenus eos Faustii libros refellit, sed Orthodoxi ferè omnes. Hæc quidem fusiùs in Historiâ Pelagianâ prosecuti sumus. In eadem Baronii sententiam Vasquez pedibus ivit in laudatâ disputatione 199. num. 17. scribens: *Eccè jam scripta Faustii de gratiâ, & libero arbitrio in Galliis, in Oriente, & in Africa tanquam veræ fidei dissentanea improbata, & notata, ut deinde nullus audeat apologiam pro Fausto contra communem sensum Patrum elaborare.* Verum illam elaboravit Jacobus Sirmondus, quod Prædestinarianâ hæresis oppugnatore aliquid auctoritatis adderet. Faustus tamen totus quantum est, Semipelagianus apparet, ut etiam Africanus, Gennadius, alique antiquiores, qui Sancti Augustini sententiam de gratiâ prædestinatione insectantes, Prædestinatorum nomine eandem infamare conati sunt.

CAPITULUM IV.

Gennadius Massiliensis Semi-Pelagianus à Recentioribus excusatur.

Post Cassianum, ejusque doctrinam de gratiâ, & libero arbitrio tunc non deflexam à fidei regulâ Sanctâ commendatam; post Faustii libros non hæreticos defensores, quos tamen Semipelagianorum Magistros fuisse clariùs constat, quàm ut illis quorumcumque hominum præstigiis eludi possit: post Massilienses ob ignorantiam invincibilem excusatos, tertius Semipelagianæ scholæ professor à Recentioribus defenditur Gennadius Massiliensis. Hunc fuisse Semipelagianum lib. 2. Historiæ Pelagianæ cap. 16. ostendimus, ejus dicti duos hic tantum testes advocabo omni exceptione majores, Baronium, & Bellarminum. Ille tomo 4. ad annum 388. ait: *Hæc Gennadius qui ergà Pelagianos propensior tribuit falsus auctor Evangelio signa, atque prodigia.* Ille vero lib. de Script. Eccles. V. Gennadius ait: *Scriptis etiam librum de viris illustribus, in quo suspicionem non parvam reliquit sua non rectæ fidei; laudavit enim Cassianum, & Faustum, qui Semipelagiani fuerunt, & S. Prosperum de predestinatione, qui pro gratiâ Dei contra Pelagium fortissimè uti incipit.* Faustii certè Semipelagiani volumen de Gratia, & libero arbitrio ab Ecclesiâ, & Patribus damnatum vocavit opus egregium. Idem dogmata de gratiâ à Cassiano concinnata, tanquam salutaria probata esse Ecclesiæ pronuntiavit. Hieronymum vocat obrectatorem, & æmulationis stimulis incitatum. Addit Augustinum, quod multa scripsit, effraße, quæ diffusius loco citato prosecuti sumus. Cæterum & hic Semipelagianus ex Imium Patrum sortitus est. Te ne appellabo, Recentiorum sapientissime, qui cum summâ doctrinâ summâ quoque modestiâ conjunctâ, Sanctis Patribus, ac Augustino præsertim honorem semper detulisti, nec tibi contra eundem, licet tam multa

multa scriberes, verbum ullum unquam minus Augustino honorificum excidit? Tuæ erga Augustinum reverentiæ detur, ne in hæc invidiæ, ut obii- cient, plena designato nomine conjiciaris. Hæc pro- leg. 5. de Grat. cap. 5. num. 36. Semipelagianismi no- tam procul à Gennadio pluribus amovere conatus concludit: *Fieri ergo potest, ut ea, quæ de Cassiano, & Fausto scripsit non per errorem in doctrinâ, sed per igno- rantiam facti dixerit.* Annatus verò lib. 7. sui Aug. cap. 2. §. 1. Ego verò, inquit, non excuso, nec probò, quod de illo dicitur, *nimi propensionem habui se nimiam erga defensores Semipelagianismi, & ab eis impugnat oribus Augustino, & Prospero aversionem.* Itane, quod de illo dicitur, inquis? quasi id incerta fama vulgave- rit, & non potius hoc ipsum suis in scriptis clarè ostenderit, quæ tu quoque legisti, certè legere de- buisti, de divinâ gratiâ scripturus.

Cum Cassianus, ac collegæ Massilienses Augustini doctrinam carperent, Prosper, & Hilarius ex Galliâ Romam profecti, rem Pontifici Cœlestino detu- ere, qui de Augustini famâ sollicitus literas statim ad Galliæ Episcopos dedit, in quibus dolere se si- gnificavit, quòd nescio quibus Presbyteris illic impu- nè liceret, Augustino erroris notam inurere. Cap. 1. Ibidem etiam Prosperum, & Hilarium commendat, quorum, inquit, *circâ Deum sollicitudo laudanda est.* Capite verò 2. quod & ultimum illius epistolæ est, quicquid alii vulgò arbitrati sint, eximâ laudum assertionem Sanctum Augustinum exornat, dicens con- trà ejusdem calumniatores: *Undè resistendum talibus, quos malè crescere videmus.* Quæ igitur fieri potuit, ut Gennadius & ipse Massiliensis, qui eodem sæculo paulò post Prosperum floruit, hoc celebre Cœlestini decretum ignoraverit? Sanè Sanctus Prosper initio li- bri contra Collatorem protestatur, se scribere con- trà Cassianum, quem licet non nominet, ex libro ejus- dem, quem sibi impugnandum dicit, evidenter il- lum designat. At cap. 42. asserit à Cœlestino Pontifi- ce Cassianum cum sociis acriter reprehensum fuisse: *Per hunc virum inquit, nempe Cœlestinum intrâ Gal- lias istis ipsis, qui Sanctæ mem. Augustini scripta repre- hendunt, maleloquentia est adempta libertas, quando consultantium (quo nomine se, & Hilarium indicat) actione susceptâ, & Librorum, qui errantibus displacant, pietate laudatâ, quid oporteret de eorum auctoritate senti- ri, sancto manifestavit eloquio &c.* Et recitâto cele- bri illo Cœlestini de Augustino elogio ait: *Contra istam clarissimam laudationis tubam, contra istam sacra- issimi testimonii dignitatem audeat quisquam malignæ in- terpretationis murmur emittere.* Ergone Gennadium sedulum literarum, ac Librorum collectorem Cœle- stini epistolam ad suos Massilienses datam ignorasse arbitrabimur? Apagè à Gennadio hanc ignorantiam fa- cti. Profectò ille fatetur, se Prosperi librum contra Cassianum legisse: hæc enim scribit cap. 84. de Scri- ptoribus illustribus, ubi de Prospero agit: *Legi & li- brum adversus opuscula sub personâ Cassiani, quæ Eccle- sia Dei salutaria probat, ille infamat nociva.* Itaque Gen- nadius in cap. 42. libri Prosperi notavit, istum de Cœ- lestino scribere: *Per hunc virum intrâ Gallias istis ipsis, qui S. mem. Augustini dicta reprehendunt, maleloquen-*

tia est adempta libertas. At quinam isti fuerunt? Cassianus, inquis, & cum eo aliqui ejusdem ordinis presbyteri: Pro- legom. 5. cap. 6. num. 7. Quare Gennadius ex libro Prosperi cognovit à Cœlestino Cassiani, & iociorum temeritatem reprehensam, quâ contra Sancti Augusti- ni doctrinam insolenter iniuræ erant; cognovit Prosperi pro Augustino legationem susceptam, & à Romano Pontifice laudatam; cognovit ex Cœlesti- ni elogio ibidem inserto, Augustinum nec unquam sinistrae suspicionis rumore aspersum. His tamen om- nibus probè cognovit Gennadius sanam Cassiani doc- trinam, Prosperi um infamatorem, Augustinum in multiloquio errantem blaterare non extimuit.

Gennadius malè animatus fuit erga Augustinum, & Hieronymum, quos soli errantes odere. De Sancto Augustino scribit cap. 38. *Error illius se non multo, ut dixi, contrarius, lucè à hostium exaggeratus, necdum hæresis quæstionem dedit.* Qualis iste error Augustini lucè hostium exaggeratus à Gennadio perperam in- telligitur diximus lib. 2. Hist. Pelag. cap. 16. Idem Hieronymo longè iniquior fuit. Scimus hunc Sanctum Doctorem graves cum Rufino inimicitias con- traxisse, de quibus superius egimus; at Gennadius palam Rufino contra Hieronymum astipulatus est: nam in laudato libro de Illustribus Scriptoribus cap. 17. ait: *Rufinus Aquileiensis Ecclesiæ Presbyter non mi- nima pars fuit Ecclesiæ Doctorem.* At Sanctus Anastasius Papa non eo in pretio habuit Rufinum; in Epistolâ e- nim ad Joannem Hierosolymitanum Rufinum prorsus se nihil facere hæc ostendit: *Illi tamen, inquit, scire cupio, Rufinum ita haberi à nostris partibus alienum, ut quid agat, ubi sit, nescire cupiamus. Ipse denique vide- rit, ubi possit absolvi.* Laudans verò Gennadius duas Rufini invectivas contra Hieronymum ita scribit: *Sed & obrectatori opusculorum suorum respondit duobus voluminibus, arguens, & convincens se Dei intuitu, & Ecclesiæ utilitate auxiliante Domino ingenium agitavisse, illum verò emulationis stimulo incitatum, ad ob- loquium stylum vertisse.* Ob hanc censuram pessimè audivit Gennadius, carpit enim Hieronymum uti oblocutorem, obrectatorem, atque emulationis æ- stro percitum. Origenis verò libros Peri-archon ve- luti utilitati Ecclesiæ à Rufino translatos (nam hos Rufini labores Hieronymus detestatus est) affirma- vit. Ex his mihi certum est, Gennadium scripsisse illum catalogum antè Synodum Romanam sub Gela- sio celebratam, nam in eâ Synodo pro Hieronymo contra Rufinum sententia dicta est in hæc planè ver- ba: *Rufinus vir religiosus plurimos Ecclesiæ operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam B. Hieronymus cum in al. quibus de ar- bitrii libertate notavit, illa sentimus, quæ prædictum B. Hieronymum sentire cognoscimus.* Quæ si Gennadius legisset, nequaquam contra Hieronymum pronuncias- set, neque Prosperi opus contra Collatorem damna- set, illud enim à Gelasio in illâ Synodo approbatum fuit, rejectis Cassiani, & Fausti opusculis, quæ Gen- nadius laudat. Atque hæc dissertatio nostra adversus novos Origenis, Theodori, ac Juliani Pelagianoro- rum, nec non Cassiani, Fausti, ac Gennadii Semi- pelagianorum defensores finem sortiatur.